



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

Ad Qvæst. XCVIII. An in templis imagines tolerari non possint quæ pro
libris sint imperitæ multitudinis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

Modus colendi Deum præceptus est in spiritu & veritate: ergo non per Sacramenta, non per Verbum Dei scriptum, aut prædicatum; non in psalmis & canticis; non per templa & organa. &c.

DICES. Hæc non sunt prohibita, sicut scilicet. *Respondeo:* Neque hoc omne censetur prohibitum Calvinistis: At ubi permissum est: ubi scriptum est: Vitulus autem expresse ac principaliter factus est in idolum contra Deum vnum: At imagines fiunt ad maiorem Dei gloriam, laudandi etiam in Sanctis eius.

AD II. Idem de idolis ethnicorum dico, ad honorem veri Dei tollendum factis, & usurpati. *Cassander* in eo errat manifeste; cunctis retro sæculis vsus imaginum in Ecclesia testantibus.

AD QUÆST. XC VIII.

An in templis imagines tolerari non possint quæ pro libris sint imperitiæ multitudinis?

CALVINVS *Inst.* l. 4. c. 9. § 9. negat.

MINISTER cum Catecheci negat. Suadet 1. ex supra dictis præsuppositis, & tanquam demonstratis. 1. Non licet in templis collocare imagines, 1. Trinitatis; quia nec fingere eas licet. 2. Non Christi aut Sanctorum ratione Cultus diuini: quia sic nec eas facere licet. 3. Non eos, uti Pat. onorum templi aut loci; quia hoc manifesta idololatria est. 4. Nec Christi & Sanctorum imagines tolerari possunt in templis, quæ pro libris sint populo: uti primus dixit Gregorius Papa sub annum 600. & sancit Synodus vi. Generalis anno 680. & sub annum 730. scribit Damascenus Monachus.

2. Ratio. 1. Quia omnis imaginum vsus in Cultu diuino simpliciter est prohibitus. 2. Deus vult Ecclesiam erudiri Prædicatione sui Verbi; non muris simulacris. 3. Nil valet imago per se ad instruendum imperitam, nisi prius de re significata edoctum; ceteri valent ad reminiscendum. 4. Quia imagines sunt magis mendacii & vanitatis doctores, quam veritatis. *Ierem. 2. 5. Eruditio vanitatum lignum est. Habac. 2. Mendacium est conflatile, vanitas sunt, & opus irrisorium. &c.*

3. Et *Bellarminus* l. 2. cap. 8. § 14. ait *picura Dei vix sine periculo queunt imperiti exhiberi.* Ergo falsum scribit cap. 10. § 8. *Melius interdum docet pictura, quam scriptura.* Sed bona est pictura illa concionatoria, Ga-

lat. 3. *O in sen. Galata, ante quorum oculos Christus præscriptus est: non in parietibus, sed concionibus.*

4. *Patres* 27. quatuor vsus imaginum in diuino cultu. *August. Epist. 49. quæst. 3. & in Psalm. 113. Conc. 2. Origen. l. 4. cont. Celsum: Simulacra potius memoriam à Deo auersunt, & ad contemplanda terrena animi oculos detorquent.* *Polydorus lib. 6. c. 13. Eo insana deus utuntur est, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Sunt enim multi rudiores, &c. qui imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsa sensum habeant, & eis magis fidant quam Christo, vel Diuis, quibus dicata sint.*

In Concilio Eliberitano, anno 305. cap. 36. *Placuit picturas in Ecclesia non esse debere; ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.*

5. Ex nullis probatis autoribus probari potest in primitiua Ecclesia per annos 300. in templis imagines receptas fuisse. *Epiphanius. epist. ad Ioan. Hierosol. con. pectam pro foribus templi in velo picturam Christi vel sancti scidit. Gentilium fuit eadem exceptio, ait Athanas. orat. contra gentes; imagines esse rudioribus pro elementis literarum; ut ita Deum inuisibilem agnoscere discant.*

RESPONDEO ex *Bellarmino. lib. 2. de imagin. capit. 9.* In templis collocari & tolerari debent Sanctorum imagines. 1. Quia, *Exod. 25. & 3. Reg. 6.* in templo, Iudæis licet ad idololatriam propensissimis, erant imagines Cherubinæ.

2. Quia primis quingentis annis fuerunt in templis: ut in calicibus, Christus ouem baiulans, *Tertull. lib. de pudicitia. Sozomen. lib. 5. c. 20. prodit, statuam Christi apud Paneadem, sub Iuliano Apostata, fuisse ab Christianis introductam in templum. Eusebius lib. 3. & 4. in templis, per Palæstinam à Constantino extractis, magnam imaginum copiam fuisse, &c.*

3. In Oriente Synodus VII. & VIII. generales totæ sunt pro imaginibus: item in Occidente Conc. Rom. sub Gregorio II. Episcopo, fere mille, damnantium Iconomachiam hæreticorum. &c. 4. Ratioque fauet; nec vna *ibidem.*

DICO AD I. Ex falsis nil nisi falsum sequi necesse est: & talia sunt illa quatuor Ministri, ut liquet ex iam dictis, & doctis.

AD II. Ratio prima est simpliciter falsa. Liquet ex dictis: & patet ex istis apud *Bellarmino. lib. 2. c. 7. 1. Quia, Exo. 25. iussit Deus fieri Cherubim super arcam;*

arcam; idque in diuino cultu; neque tamen vt adorarentur: Item, Num. 21. serpentem æneum, vt aspectaretur in salutem corporis: Item, 3. Reg. 6. 7. in Salomonæo imagines Cherubim, boum, leonum. &c. Ergo non sunt simpliciter & absolute prohibita in cultu diuino.

Neque abstinuit Deum ab iis periculum idololatriæ, vel occasio: quia hanc non infert secum necessario sculprilium permissio in diuino cultu: ne enim inferret, iam ante cauerat isto, *Non habebis Deos alienos.* &c. Et isto, *Non adorabis ea, neq. coles.* Ergo cum hac caurela permissus est imaginum in ipso Dei cultu. Sol, luna, stellæ, &c. erant multis o. casio idololatriæ futura; non idcirco tamen ea Deus exclusit è numero creaturarum.

Deinde, Primæ tabulæ præcepta sunt de cultu diuino: Atqui ex hoc non est omne sculprile exclusum absolute; sed per accidens, scilicet, quatenus IESVM Adoraretur, fieretque adoratione idolum. Nam alioquin omne, vbique, & semper prohibitum foret sculprile: quod negant ipsi nobiscum aduersarij.

3. Accedit, quod eodem recidit: Nunquam censetur prohibitum lege, quod non aduersatur fini legis, vt est cultus solius, vniusque DEI in præceptis primæ tabulæ: at imago, non facta vt adoretur, non etiam legi aduersatur: ergo permissa est.

Rationis secundæ pars prior est vera; falsa altera: quia NVS QVAM prohibuit, vt iam docui; sed permisit.

Tertia item falsa est. Quia imago pia est ex se significatiua rei piæ; & de hac ipsa in genere, confuse licet, excitat spectatorem sui ad aliquam pietatem: Si que rei significatæ explicatio accesserit; iam tum altius in animum descendit res visa, quam audita; fecitque memoriam acutius.

Quarta de imaginibus sacris, falsa; vera de idolis: de quibus Scripturæ.

AD III. Minister vane captiosus est, facitque calumniam Bellarmino: cuius utrūque dictum verum, nec implicant contradictionem. Lique se ipso.

AD IV. S. Patres in locis culpant abu-

sum: nihil autem tam sanctum, quod non corruptelæ subiaceat: ergo omne Sanctum exterminandum? Non; sed corruptelæ semouenda. Deinde: quidam loquuntur de idolis geatium: alii de putantibus perfectam formam Dei, aut spirituum esse expressam iconem. *Conc.* vero *Eliberitanum* loquuntur de imaginibus Dei; & errore putantium factas iuxta Essentiam Dei: teste ipso Caluino.

AD V. Falsum est: nam contrarium probauimus supra in responsione. Epiphanius autem fuit ipse eximus imaginum cultor; scidit tamen illam accidentali quorundam errori medendo. Quasi vero gentilium instituta, dicta, facta fuissent omnia idololatrica; moraliter bona nulla. Nil obstat eandem eis rationem nobiscum fuisse. &c.

AD QVÆST. CII.

Estne licitum iurare per Sanctos, aut alias creaturas?

CALVINVS Instit. lib. 2. c. 8. §. 25. negat. MINISTER cum Catechesi item. Suadet 1. Quia legitimum iuramentum est inuocatio DEI, iuxta Deut. 6 & 10. 2. Cor. 1. 1er. 4. At soli Deo, non Sanctis, illa debetur.

2. Vetat Deus iurare per Deos alienos: Exo. 23. Ios. 23. &c. sed per se solum, vt vnicus cordium inspector; qualis Sanctorum est nullus.

3. Quia merum humani cerebri figmentum est, Sanctos mortuos scire res nostras; idque vel ex speculo Trinitatis, vel ex speciali reuelatione; vel ex Angelorum relatione.

4. Parochus, i. est aperte blasphemus in Deum, cū dicit: *Honos iste iuramenti non solum Deo competit, sed et Sanctis, vt amicis Dei.* Quia is honor intelligitur, quo asseritur Deus vnicus cordium inspector. 2. Contradictionem manifestè implicat: Si n. Deus est vnicus inspector cordium; ergo non etiam Sancti.

5. Dicent: Licet iurare per Sanctos, qui sunt amici Dei; ideoque non per Deos alienos. At ratio vetiti de Diis erat, quia non erant Di: at neq. Sancti sunt Di: ergo par ratio vetiti est.

6. Dicent: Iuramentum per Sanctos est simul per Deum. At De. vult per se solum iurari Matt. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire Viquequo,* Papistæ 1 Reg. 18. *claudicatis in utramque:* Si Dominus est Deus; iuratae pereum: si Sancti sunt Di; iurare per eos.

RESPON-